

AK.524.2.

B. m. II. 4

IIc  
722

# EXAMEN SOLEMNE ILLVSTRIS GYMNASII ERLANGENSIS

QVO SIMVL  
TRES ACADEMIAE CANDIDATI  
OPTIMAE SPEI IVVENES  
PRO MORE DIMITTENTVR

AD D. III. NON. MAI A.O.R. c<sup>h</sup>ccCLXXIII.

H. L. Q. C. INSTITVENDVM  
INDICIT

ET

VT TOTI ACTVI FREVENTES ET BENEVOLI INTERSINT  
MAECENATES PATRONI FAVTORES  
LITTERARVM ELEGANTIORVM AMATORES  
EA QVA FIERI DECEP REVERENTIA, PIETATE  
ET HUMANITATE

PRAEMISSA BREVI PROLVSIONE Q. CVRTIVM A  
QVORUNDAM REPREHENSIONE NON NIHIL DEFENDENTE  
ROGAT

GYMNASII CORRECTOR

IOANNES IACOBVS SARTORIUS  
AD AEDEM SACRAM PALAEOPOLITANAM

DIACONVS.



ERLANGAE

EX OFFICINA VIDVÆ CAMERARIAE.







VI

**A**uctorum si quis vñquam inuentus est, quos vocant  
classicorum, de quo variae sunt et infinitae docti-  
simorum hominum opiniones, in his certe locum obtinet  
haut postremum Q. Curtius Rufus. In hunc enim vere  
quadrat, quod dudum in prouerbii consuetudinem venit  
Horatii effatum:

Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.

Quod tamen qui factum sit, intellectu haut est diffi-  
cile. Quis fuerit nimirum Rufus, quo tempore vixe-  
rit, incertum est, eaque omnia, vnde hacc colligi viden-  
tur posse, ita sunt ambigua, vt mirum sane non sit, sum-  
ma esse, qui id conati sunt, in varietate ac dissensione  
constitutos, exque iis eo progressos quosdam, vt haut  
genuinum crederent, qui sub romano Curtii prodierit no-  
mine, sed Itali cuiusdam hominis post renatas demum lit-  
teras supposititium foetum. Quorum tamen opinio, quin  
longius a vero absit, dubium non est. Licet enim, quo  
maxime ad stabiliendam eam vtuntur argumento, non re-  
periatur vsquam antiquioris aeui scriptor, apud quem cer-  
ta huius occurrat mentio atque plane non dubia, ex eo  
tamen non tantum sententiae ipsorum accedit roboris, vt  
veritati omnino sit consentanea. Quod quidem non teme-

A 2

re

re inficias ibit, quisquis saeculo certe P. C. N. XII. et XIII.  
 plures \*) eius meminisse non ignorat. Ex eo enim satis  
 adparere nemo non videt, longe ante Curtii historiam,  
 quam isti volunt, et eo iam exstisile tempore, quo, qui  
 tanto scriperit nitore, tanta venustate, tamque nativo  
 antiquitatis colore fuisse quemquam, minus est credibile.  
 Quae quidem scribendi ratio in causa amplius videtur esse,  
 ut, quemadmodum de aetate Curtii atque vitae conditione  
 parum inter eruditos conuenit; ita nec de eo consentiant,  
 probandumne sit, quo usus est, scripturae genus, et ad  
 imitandum proponendi, qui sub eius nomine feruntur, his  
 toriarum libri. Sunt enim, neque ii e triuio, sed in his  
 litteris summi viri, quibus pura adeo, nativa, terfa atque  
 emendata videtur eius dictio, ut quem nocturna versent  
 adolescentuli atque diurna manu, qui magis dignus sit, vix  
 putent reperiri alium: sunt contra non minus eruditione  
 clari atque scribendi artis periti, qui ab iis plane discre-  
 pant, ita ut lectionem eius pueris nequaquam commen-  
 dandum, sed iis solum censeant relinquendam, qui sobri-  
 am dicendi rationem iam edocet, quid distent lupinis aera,  
 probe norint. Vtrique, quantum iudicare possum, illi in  
 laudando, hi vero in reprehendendo nimii sunt, ut qui  
 verum sequi velit, neutrorum queat accedere sententiae.  
 Prout enim non desunt, quae priori opponantur, ex iis  
 tamen facile intelligenda, quibus confirmari solet poste-  
 rior: ita nec, quae contra hanc disputentur. De hac igitur  
 ne temere, quae dixi, affirmare videar, potissimum  
 agere atque paucis ostendere animus est, cur adsensu haut  
 sit comprobanda. Id autem cum agant fere, qui tuentur  
 eam, iniquiores in Curtium iudices, ut illum plane non in-  
 fer-

\*) Recenset eos praeter RAEIUM in *Dictionario aliquosque IO. ALB.*  
**FABRICIUS** in *Bibl. lat. tom. I.* p. 439. quibus addi potest **VIN-**  
**CENTIUS BELLOVACENSIS**, saec. XIII. scriptor. Vid. *Magazin für*  
*Schulen und die Erziehung überhaupt.* Th. IV. p. 441

◆ ◆ ◆

seruire adolescentum commodis doceant; num quid his  
utilitatis, ingenio licet nondum valentibus et subacta vi  
iudicandi, ex lectione eius sperandum sit sobrie instituta,  
quantum in me est, inquiram, examinatisque prius, mo-  
deste tamen differentium argumentis, \*) quae mea fit de  
ea re sententia, ingenue expromam.

Quamquam autem id probare maxime conentur ad-  
uersarii, nullum omnino fructum capere ex Curtio adele-  
scentulos posse, eoque cum primis spectent allata ab ipsis  
argumenta, ea tamen non ex uno fonte hauriunt, sed tum  
e filii, tum e rerum traditarum ratione eliciunt. Etenim,  
quae scriptorem commendent, duo esse nec immerito con-  
tendunt, dictio nimis puritatem concinnitatemque ex  
eo descendam, et acquirendam rerum, quas tradit, utilium  
cognitionem. In utroque vero Curtium exiguum praestare  
inuenibus operam, facili negotio euinci posse autumant.  
Iam quidem quin elegantissima sit ac viuacissima eius dictio  
minime inficias eunt, verum tamen hoc non tantum esse  
arbitrantur, ut ad imitandum propterea proponatur adele-  
scentulis. Primo enim inanem in eo reprehendunt artis  
declamatoriae ostentationem ex frequentissimis abunde elu-  
centem locorum incognitorum, fluminum et orationum  
descriptionibus, ad quas quidem stilo florentissimo deline-  
andas omnem ingenii vim contulisset ac imaginationis ope-  
ram. Neque tamen in his solum, verum etiam in ipsis rela-  
tionibus inepte cum stili magnificentiam ostendisse, voca-  
busque multis admodum improprie iussisse, ut adsuetas ad-  
curatori sermoni aures non parum laeserit. Quae quidem,

A 3

vt

\*) Fa denuo collegisse atque exornasse videtur b. IAC. BRUCKERUS  
in Obseru. cui titulum fecit: *Q. Curtius Rufus adolescentibus ad  
imitandum non proponendus.* Vid. *Eius Miscellanea historiae phi-  
losophicae. literariae criticae* P. III. p. 601. Quem eam ob causam  
potissimum fecuti sumus.



ut maior inde argumentandi vis procedat, ita nota omnibus atque perspecta esse aiunt, qui de his iudicare possent rebus, ut vel ipsi haudquaquam negare sustineant stili Curtiani adoratores. Hinc autem quid emolumenti exspectandum sit pueris e Curtio, facile patere. Quodsi enim intimus imitari eum pressoque pede sequi velint, periculum esse, ne impotentis laxare fraena imaginationis discant atque ab adcuratori rerum consideratione abstracti iudicandi vim mentisque aciem hebescere patientur, maiori tamen ac ingenium cura et studio excolandam. Quod quam facile fieri possit, quemque intelligere, qui norit, quam abducant a iusta rerum meditatione et examine stili veneres, et quam misere iudicium lectorum corrumpat oratio papauere atque sesamo sparsa. Haec sane, vtpote a vero non prorsus abhorrentia, dictionis Curtiana laudes non parum obterere videntur: verum num propterea ex lectione eius, reste ac sobrie instituta, nulla omnino in pueros redundet utilitas, mea quidem sententia, ita nondum euictum est hoc argumento atque extra omnem dubitationis aleam positum, vt infirmari plane non queat atque conuelli. Negari quidem nequit, multa in Curtio, si penitus paullo consideraueris stilum eius, haut raro obvia esse, merito vituperanda, interque naevos potius orationis referenda, quam imitanda, non tamen in vniuersum omnia improbari poterunt. Turgida saepius eius est oratio: at subinde etiam vere sublimis. Animi certe magnitudinem, quae in Alexandro fuit, optime nonnumquam expressit. Exemplo esse responsio potest data Parmenioni, pacis conditiones a Dario oblatas, vt acciperet, suadenti. Alexander enim, cum et ego inquit, *peccani*, quam gloriam mollem, sic Parmenio esset, haut difficulti quisque, modo norit hunc regem, cuius hoc dictum sit, coniecura adsequetur, tametsi, qui ita locutus sit, cum ignarissimis sciat. Idem comprobat oratio, qua quid nuntiarent Dario, legatis eius pacem offerentibus mandauit. Neque semper adeo ab adcuratori rerum examine ora-

orationis magnificentia Curtius lectorum abducit, vt animus huius, stili suavitate delinitus, nihil praeter virtutem Alex-  
andri ac felicitatem videat. Tantum enim abest, vt he-  
rois sui vitia silentio premat, vt potius subinde ea ipse re-  
prehendat, viuisque adeo coloribus depingat, vt non Da-  
rii solum, sed et Alexandri doceat exemplo: *homines cum  
se permiserunt fortunae, etiam naturam dediscere.* \*) Exponit  
quam misere vitia vicerint, quem arma Persarum frangere  
non potuere: \*\*) vituperat in eo intolerabilem vini cupidita-  
tem, \*\*\*) inuidiam, superbiam ac lasciviam, \*\*\*\*) immodi-  
cam sui aestimationem \*\*\*\*\*) et plura alia iam non addu-  
cenda. Tegere quidem iterum eadem videtur, dum vel for-  
tunae vel aetatis fuisse tradit: \*\*\*\*\*) verum hoc non impedit,  
quo minus Alexandrum vitiis fuisse obrutum, lector intelligat.  
Denique cum et naevo orationis nosse inueni, qui  
non cum fructu et ita legi poterit cum adolescentibus Cur-  
tius, vt iudicandi vis formetur potius et acuatur, quam  
corrumperatur, et, ne extra oleas vagetur, cohibeatur ima-  
ginatio. Sed id iam vberius exponere, huius non est loci:  
alia enim mihi erit illud persequendi occasio.

Pergunt autem atque aliam adferunt rationem, cur  
Curtius adolescentum studiis commendandus haut videatur.  
Talem nimirum stilum eius aiunt esse, vt vix vnquam in  
vita ciuili adhiberi possit rite expressus, cum paucissimis  
contingat magnifici sermonis tumorem in panegyricis ora-  
tionibus ostendere. Posterius qui temere neget, fore quem-  
quam non arbitror. Raro enim, eaque paucis obuenit oc-  
casio, qua sermonem cum laudum admiratione instituere  
ac stilo grandiori vti licet: superuacua autem discere, nec  
vnquam vel rarissime profutura sapientis non esse, sed de-  
sipi-

\*) CvrTIVS Lib. III. Cap. 2.

\*\*\*\*) Lib. VI. Cap. 6.

\*\*) Lib. VI. Cap. 7.

\*\*\*\*\*) Lib. VIII. I.

\*\*\*) Lib. V. Cap. 7.

\*\*\*\*\*) Lib. X. 5.

sipientis inter omnes constat. Speciosum itaque videtur argumentum, cui tamen, quae respondeantur, non desunt. Nam vt taccam, dubitari adhuc nec immerito posse, eane sit dictio[n]is Curtianae in doles, vt usui vix vnquam, si sequaris, in societatis civilis statu esse queat, idque lubens largiar, legitimae tamen consecutionis ope elici inde, quae conficitur conclusio[n]is haut videtur. Formandum quidem ad morem Curtiani stilum non esse, pleno inde fuit alueo: ad non illud, quod probari debebat, sobriam nimirum dicendi rationem cognoscere ex Curtio et discere adolescentes non posse. Qui enim id sequatur inde, parum me perspicere ingenue fateor. Panegyricos facere, inque iis magnificae orationis granditatem ostendere, paucissimis quidem datur; at naturam tamen sublimioris stili nosse ac probe perspicere, non utile solum est, sed quemque etiam decet elegantiorum litterarum studiosum, vt sobrie de eo iudicare possit, et ubi recte, ubi male adhibeat, intelligat. Quidni etiam discant iuuenes, quoad licet, vt si res ferat aut occasio, tollere se quoque humo et magnifico sermone vti possint? Non inutilis ergo Rusi, etiamsi saepius quam par est, calamistris quasi intorqueat orationem, vel cothurnis incedat, erit lectio, modo recte instituatur.

Tandem non ullam adparere aiunt Curtii adolescentibus commendandi necessitatem. Apud omnes enim in confessio esse, ex *Cicerone*, *Cornelio Nepote*, *Julio Caesare* atque *Terentio* castigatissimum imitando non dici modo posse sermonem, sed et minime verendum esse, ne iudicium corruptatur, stiloque impendatur opera vix vnquam usurpando. Quae licet, utpote averitate non omnino aliena, facile concedi queant, addi etiam, ita plerosque fere omnes de utilitate ex horum aucto[r]um lectione percipienda uno consentire ore, vt digni in primis censeantur, qui omnibus de meliori commendentur nota, sobrie dicendi scribendique facultatem sibi comparaturis, minus tamen illud videntur probare, de quo disceptatur. Etenim non quaeritur.

tur: sitne adeo necessaria omnibus Curtii lectio, ut nemo facile, cui probus et elegans sermo curae sit, ea carere possit: sed num parum aut plane nihil utilitatis adferat adolescentulis, ob eamque caussam eis haut sit commendanda? Illud qui aiatur, an illius unquam futurus sit, valde dubito: hoc autem efficaci rationibus, ad firmandam eam rem prolati, persuaderi mihi vix ac ne vix quidem potest. Linguae certe iam pridem mortuae proprietas, splendor, copia atque nitor facilius cognosci poterit meliusque intelligi, cum plures ea, polite scribentes sapienterque, suas explicarunt cogitationes, quorum scriptis vti, eaque quoties libet et commodum est, legere ac perlustrare possis.

Argumentis iam a filii ratione desumptis veritatis trutina breuiter examinatis, ad alterum eorum ordinem erit progrediendum. Quemadmodum enim propter sermonis elegantiam dandum esse adolescentibus Curtium haut censem minus acqui eiusdem aestimatores: ita nec eum, ob rerum, quas proponit, cognitionem ex illo hauriendam, commendari posse statuunt. Id probaturi nonnullas adferunt rationes, quas si quis paullo curatus expenderit, co pertinere iterum intelliget, ut nec ex hac parte prodesse iuuenibus in litterarum studio versantibus Curtii lectionem appareat. Eum itaque sublestae fidei historicum esse aiunt, qui cum thematis alicuius oratorii loco Alexandri selegerit historiam, in qua, quid arte sua efficere posset, ostenderet, leges etiam historiae negligere et plura vehementius, quam concedit veritas, ornare necesse habuerit. Id vel uno specimine videri posse, ex narratione nimirum praelii ad Iissum, cum Dario commissi. Narrare autem eum libr. III. c. 11; Persarum ibi peditum centum millia casu esse, decem vero millia interficta equitum: ex parte Alexandri quartuor et quingentos duntaxat saucios fuisse, triginta et duos omnino ex peditibus desideratos, equitum centum quinquaginta interfictos, ipse licet antea demonstrauerit, quam strenue fortiterque Persae pugnarint. Egregie itaque nugari hic Curtium, manibus palpare quemque

que posse, cum omnem fere fidem haec excedant. Et minus quidem probabilia videri ea nequaquam inficior: verum num propterea suspecta sit habenda Curtii fides, adhuc dubito. Ut enim fileam, falso fortasse in eo accusari Curtium, quod non alia caussa ductus describendas sibi sumserit res ab Alexandro M. gestas, quam ut in dicendo vim experiretur suam, vt potest quod in controuersiam adduci adhuc possit: quod tamen non parum ei patrocinari videtur, silentio praeterire nequeo. Eutropium inter historicos fide dignos merito numerari, quis est, qui nesciat? Is autem bellum exponens a Sylla, Romanorum tandem dictatore aduersus Mithridatis duces gestum, postquam illum Athenas cepisse narravit, ita pergit: *postea commissio paelio contra Archeam ita cum vicit, ut ex centum et viginti millibus vix decem Archelao superessent, ex Syllae exercitu quatuordecim tantum homines interficerentur.*) Haec si vera sunt, cur credat tantum Iudeus Apella, quae Curtius refert. Parum enim discriminis inter huius et illius relationem esse video: neque tamen, qui Eutropium sublesta fide historiam recensere dicat, noui quemquam, plures contra quibus laude dignus videtur. Persequi quidem haec longius possem, verum hic filum abrumpere varias ob caussas cogor, alio forsitan tempore, quae supersunt dicenda, si vitam viresque concederit diuina clementia, traditurus. Ad id proinde pergo, cuius potissimum gratia qualiscunque haec praemittenda fuit disputatio. Indicanda nimirum est Gymnassi nostri lustratio ex Amplissimi Scholarcharum collegii auctoritate solemniter instituenda. Cumque quatuor optimae spei adolescentes suas in dicendo vires experientur, eorumque tres, cursu scholastico apud nos laudabiliter confecto, ex more dimittentur, ob ingenii bonitatem, sedulitatem, moresque compositos bonis omnibus, piisque votis prosequendi, **MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTORREM, ILLVSTREM PROCANCELLARIVM, PARENTES ACADEMIAE CONSCRIPTOS, INQVE IIS GRAVISSIMOS**

<sup>\*)</sup> *Eutropius Lib. V. Cap. IV.*

MOS SCHOLARCHAS, utriusque vrbis PROCERES, FAV-  
TORES denique atque elegantiorum litterarum AMATORES  
ea qua fieri decet reuerentia, pietate ac humanitate rogo,  
vt oratores nostros beneuoli audire et honorifica sua praec-  
sentia omnem Actum condecorare ne grauentur.

P. P. Dom. Iubilate A. O. R. c/o I. cc LXXIII.

(L. S.)

C O N S P E C T U S

L V S T R A T I O N I S P V B L I C A E

D. V. M A I I H A B E N D A E.

Ante meridiem ab hor. IX. praevio concentu musico  
1) DAVID BRIXNER, Erlangen<sup>s</sup>, introitum facturus de  
cautione in eligendo vitae genere adhibenda latine di-  
cet. Tunc

I. M. FRID. CHRIST. LAVR. SCHWEIGGER, Rector, pro-  
fectus auditorum I. et II. Ord. in Theol. atque I. in  
philos. et lat. ling. explorabit.

II. IO. IAC. SARTORIUS, Conrector, tribus I. et II. ciues  
in hist. I. in mathem. et II. in latinit. tentabit. Quibus  
finitis

2) GODOFR. BERNH. MACKELDEY, Erlangen<sup>s</sup>, laudes  
virtutis germanica vorsa decantabit. Tunc

B 2

III.

AKT C 722 X 306 3619

XII



III. CONR. WEISMANN, Collabor. I. et II. Clasf. discipulos ord. I. in hebr. et graec. II. autem in geograph. iustabit.

IV. IO. NICOL. MESCH, Collabor. I. et II. Clasf. a ciuibus I. trib. rationes poës. germ. a II. vero Orator. et ling. graec. exposcet. His absolutis.

3.) CHRISTOPH. FRID. KAESTNER, Marcer'bacenſis, habita prius orat. lat. de virtute grati animi, omnium maxima et reliquarum matre, suo suorumque commilito- num, Brixneri et Mackedeyi nomine vlt. Gymn. nostro dicet Vale.

Post meridiem ab hor. II.

Praeuiā iterum symphonia musica


V. MART. PHILIPP. SEIFFERT, Subrector, vires discipul. I. et II. Clasf. in ling. gallica, III. autem in Theol. et latinit. explorabit.

VI. FRIDERICVS MARTIVS, Subconrector, in progressus discipulorum IV. Clasf. in theol. et latinit. inquiret, nec non Calligraphiae specimina exiget.

VII. IO. BERNH. LIPPERT, Collabor. III. et IV. Clasf. discipulos III. Clasf. in graecis examinabit. Sic autem docentium labore absoluto

4.) IO. ALBERTVS BAVERRIEDEL, Erlangenſis, ord. II. au- ditor, de praeiudicio, eruditos esse homines aerumnojissimos germanica proſa declamabit. Finis erit concensus musicus.





QK.524.22

B.m. II, 4

II C  
722

# EXAMEN SOLEMNE ILLVSTRIS GYMNASII ERLANGENSIS

QVO SIMVL  
TRES ACADEMIAE CANDIDATI  
OPTIMAE SPEI IVVENES

PRO MORE DIMIT TENTVR

AD D. III. NON. MAI A.O.R. cib Iccclxxiii.

H. L. Q. C. INSTITVENDVM

INDICIT

ET

VT TOTI ACTVI FREQUENTES ET BENEVOLI INTERSINT  
MAECENATES PATRONI FAUTORES  
LITTERARVM ELEGANTIORVM AMATORES

EA QVA FIERI DECET REVERENTIA, PIETATE  
ET HUMANITATE

PRAEMISSA BREVI PROLVSIONE Q. CVRTIVM A  
QVORUNDAM REPREHENSIONE NON NIHIL DEFENDENTE  
ROGAT

GYMNASII CORRECTOR

IOANNES IACOBVS SARTORIVS  
AD AEDEM SACRAM PALAEOPOLITANAM  
DIACONVS.



ERLANGAE  
EX OFFICINA VIDVÆ CAMERARIAE.

